

subiectum, quod alias pro multis accipi potest, nullo notatur signo, vt cum dicitur *homo est discipline capax*. Aduerte tamen notam vniuersalitatís, & particularitatís in modalibus (de quibus statim dicam) contineri in ipso modo: ita vt in illius tantum ea modalis propositio sit vniuersalis cuius modus vniuersalitatem dicit: vt eam dicit modus, *necessarium & impossibile*: illa vero fit particularis cuius modus non importat vniuersalitatem; vt modus, contingens, possibile.

Præterea: diuiditur enuntiatio generaliter sumpta in enuntiationem de inesse, & modalem: de inesse illa est, in qua prædicatum ita simpliciter enuntiat, velut subiecto conueniens aut minime conueniens, vt non indicetur modus necessitatís, vel contingentiae, vel possibilitatís, quo illi conuenit: aut impossibilitatís quo non conuenit: vt, *omnis homo est animal; nullus homo est lapis*. Modalis è contra illa est, in qua de subiecto enuntiat simul prædicatum & modus quo idem prædicatum subiecto conuenit, vel conuenit; vt in his, *omnis homo essentialiter, ac necessario est animal; impossibile est brutum ratiocinari*. Et aduerte modales esse in duplici genere; in quibusdam enim exprimitur modus per aduerbium, *necessario; contingenter*, &c. vt *homo est necessario animal; paries est contingenter albus*. In aliis vero ipse modus exprimitur per nomen, & prædicatur; vt in his, *necessarium est hominem esse animal; contingens est parietem esse album*. In illis non est magna difficultas, in istis vero est quod notes: nimirum esse in eis duas partes; quarum vna dicitur *modus*, & altera, quæ vocatur *dictum*: de quo videlicet tanquam subiecto prædicatur modus, vt in allato ultimo exemplo: *Contingens*, vocatur modus; *parietem esse album*, est dictum de quo prædicatur modus contingens; & copula, *est*, vt runque coniungens dicitur principalis: copula autem, *esse*, scilicet in dicto, vocatur minus principalis. Ideo autem illa dicitur magis principalis; quia ratione eius, non autem ratione alterius, tota modalis propositio est affirmatiua vel negatiua.

Diuiditur *k* adhuc enuntiatio generaliter sumpta, in simplicem siue incomplexam; & complexam: Simplex est in qua tantum est vnum prædicatum, & vnum subiectum: vntum, inquam, siue incomplexæ, siue complexæ, vt *homo est animal; homo iustus est ad vitam prædestinatus*. Complexa est, quæ ex simplicibus enuntiationibus aliqua coniunctione copulatis componitur; quod fit quoties in enuntiatione sunt copulæ formaliter plures, vel certe vna est virtualiter multiplex; vt cum dicitur, *Petrus & Ioannes ascendebant in templum; Christus est Deus & homo*; ibi enim copula, quamuis sit formaliter vna, æquiualeat tamen duabus, vnde ibi sunt enuntiationes duæ in vna: nimirum hæc, *Christus est homo*; & hæc, *Christus est Deus*: ac propterea illa vna, dicitur complexa.

Diuiditur *l* etiam enuntiatio generaliter sumpta in absolutam (quæ & Categoricalis dicitur) & conditionatam. Absoluta est quæ prædicatum de suo subiecto enuntiat absolute, id est absque vlla conditione: è contra vero conditionalis siue hypothetica est, quæ prædicatum enuntiat sub aliqua conditione, seu hypothesi. Exemplum absolutæ est, *homo est animal; Christus est Deus & homo; sine fide impossibile est placere Deo*: vbi vides propositionem non tantum simplicem, sed etiam complexam, imo & modalem, esse absolutam. Exemplum hypotheticæ est, *si vis in vitam ingredi serua mandata*: quæ sic potest resolui, dabitur tibi ingressus ad vitam, si mandata seruaeris. Additur huic diuisioni tertium membrum, enuntiatio causalis; id est ea in qua exprimitur causa connexionis prædicati cum subiecto; vt hæc, *Ex eo quod homo est animal rationale, est risibilis*. Et aduerte in enuntiatione causali semper poni particulam aliquam causalem; vt est *quia, quoniam*, &c. sicut in conditionali ponitur semper particula conditionalis, qualis est *si, nisi, dummodo*, &c.

Diuiditur *m* adhuc enuntiatio etiam generaliter sumpta in eam quæ est de actu signato, & eam quæ est de actu exercito. Illa est, in qua subiectum & prædicatum connectuntur per verbum secundæ intentionis; id est, significans actum aliquem logicum: vt sunt ista; *prædicatur; enuntiat; dicitur; verificatur; supponitur*, &c. De actu autem exercito illa est, cuius prædicatum, & subiectum connectuntur verbo primæ intentionis. Exemplum de actu signato sit, *Animal prædicatur de homine: Homo supponitur pro re constante corpore organico & anima rationali*. Exemplum de actu exercito sit, *Homo est animal rationale; Homo est res constants corpore organico, & anima rationali*.

Diuiditur *n* Enuntiatio complexa in copulatiuam & disiunctiuam. Copulatiua est in qua duæ propositiones simplices, quibus constat, connectuntur particula copulatiua, *&*; *atque*; ac similibus. Disiunctiua autem in qua duæ simplices copulantur particula disiunctiua *vel*; *aut*; hisque similibus.

Vulgo quidem alie circumferuntur diuisiones Enuntiationis; sed eas omitto siue quia sunt valde exigui momenti; siue quia non inueni ab omnibus eodem modo intelligi, vel vsurpari; vel quia rarissime veniunt in vsu; demum quia passim occurrit earum explicatio apud summulistas.